

## EL FUERO COMPETENTE MATRIMONIAL: C. 1673, 3.º. TEXTO Y COMENTARIO

### I. Texto: SUPREMUM SIGNATURAE APOSTOLICAE TRIBUNAL\*

Responsio per generale decretum ad propositum quaesitum de can. 1673, 3.º C.I.C.

#### DECRETUM GENERALE

Apud quaedam tribunalia haec praxis invaluit ipse Vicarius iudicialis domicilii partis conventae eam non audit, antequam consensum de quo in can. 1673, 3.º, concedat, sed censet satis esse ut ipsa ad rem a Vicario iudicali domicilii partis atricis audita sit vel audiatur.

Pontificium Consilium de Legum textibus interpretandis — cui quaestio proposita erat — «dopo attenta considerazione della questione, non ha ravvisato in essa alcun vero «dubium iuris» e quindi la necessità di un'interpretazione della legge, trattandosi piuttosto di retta applicazione della medesima», et proinde litteris 11 Ianuarii 1992 rem huic Signaturae Apostolicae pro competentia transmisit.

#### SUPREMUM SIGNATURAE APOSTOLICAE TRIBUNAL

Attento quod tribunal loci in quo pars actrix domicilium habet non est forum iure competens ad pertractandam causam nullitatis matrimonii, nisi reapse verificentur condiciones de quibus in can. 1673, 3.º, scilicet «dummodo utraque pars in territorio eiusdem Episcoporum Conferentiae degat, et Vicarius iudicialis domicilii partis conventae, ipsa audita, consentiat»;

#### *Perspecto quod:*

— iuxta propriam verborum significationem sine ullo dubio in can. 1673, 3.º, requiritur ut auditio partis conventae praecedat concessionem consensus ex parte eius Vicarii iudicialis;

— quae auditio peragenda est a Vicario iudicali domicilii partis conventae ut ipse rite pendere possit circumstantias casus, antequam consensum, de quo in can. 1673, 3.º, praestet vel minus (cf. can. 127, § 3);

\* AAS 85, 1993, 969-70.